



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

Caput 34. Qua[n]do passus sit Christus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

Christum filium Dei in medio eorum adesse testatur. Ipse quoque Dominus IESVS Christus hic in principio salutarem iam adnunciat signis atque virtutibus viam: vera comprobans esse quæ dicerentur per Prophetas.

Capit. 3. 4.  
Quāto passus  
sit Christus.

Confer cum  
Eusebio.

**C**omputantur in præsentī an. id est Tiberij Cæsaris xxxiv. à secundo anno instaurationis templi, quæ facta est sub altero an. Darij regis Persarum, an. DCLVIII. à Salomone autem & prima ædificatione templi anni mille quadraginta. à Moysē & egressu Israel ex Ægypto anni mille octingenti nouem. ab Abraham & regno Nini & Semiramidis ann. duo millia quadraginta quatuor. à diluuiō vltiq; ad Abraham anni nongenti quadraginta duo. Ipse Christus filius Dei salutarem cunctis prædicans viam miracula quæ in Euangelio scripta sunt facit. Iesus Christus filius Dei discipulos suos diuino imbuens sacerdotio, vt vniuersis gentibus conuersionem ad Deum nuncient imperat. Ipse Christus filius Dei secundum Prophetas quæ de eo fuerant prælocuti, ad Passionem venit anno Tiberij decimo quinto. Quo tempore etiam in alijs Ethnicorum commentarijs hæc diuersa scripta comperimus. Solis facta defectio, ita vt in tenebrosam noctem dies media conuerteretur, & stellæ apparent, Bithynia terræ motu concussa est, quæ omnia his congruunt quæ in Passione Saluatoris acciderant. Argumentum autem huius diei, quod Saluator isto anno passus sit, Euangelium præbet Ioannis, in quo scribitur xv. anno Tiberij Cæsaris tribus annis dominum prædicasse. In templo Ierosolymis subito erupit vox dicentium, Transmigremus ex his sedibus, Eodem anno Pilatus præses, secreto noctis, imaginem Cæsaris in templo statuerat. Hæc prima seditio & turbarum Iudæis causa



causa. Ecclesie Ierosolymorum primus Episcopus ab Apostolis ordinatus est Iacobus frater Domini. Ex hoc considerandum quantæ deinceps calamitates Iudæorum gentem oppresserint. Pilatus post suprascriptam seditionem, quæ ob Cæsaris imaginem fuit concitata, sacrum thesaurum, quem in Corbonam Iudæi vocant, in aquæductum Ierosolymorum exposuit. Secunda seditio Iudæorum fuit anno xxii. imperij Tiberij. Agrippa filius Herodis regis accusator Herodis Tetrarchæ Romam profectus à Tiberio in vincula mittitur. Pilatus de Christianorum dogmate refert, Tiberius senatui dicens, ut inter cætera sacra reciperent præcepit. Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem. Multi senatorum & equitum Romanorum interfecti. Tiberius in Campania moritur.

**R**omanorum iv. Caius imperavit annos iv. & menses x. Gaius Cæsar cognomento Caligula Agrippam vinculis liberatum, regem Iudæis fecit. Gaius semetipsum in Deos refert. Flaccus multos Iudæos calamitatibus premit, consentiente Alexandriae populo. Gaius Mammij reguli uxorem duxit, impellens eum, ut uxoris suæ patrem esse se scriberet. Pontius Pilatus in multas incidens calamitates, propria se manu interfecit. Gaius Ierosolymam statuari suam sub nomine Iouis Maximi ponere præcepit. Plurimi nobilium à Gaius sunt interfecti. Gaius sorores suas, quibus stuprum intulerat, exilio condemnauit. Gaius omnes exules iussit interfici. Gaius à protectoribus suis in palatio occiditur anno ætatis suæ xxix.

Romanorum v. CLAUDIUS imperavit annos xiv. menses ix. dies xxviii. Iste est Claudius patruus Drusi, qui

Caput 35.  
de Caio Cæsare

Mammij reguli vel regentis exercitus. Ita enim Suetonius Calig. 25.

Loliam Patulinam C. Memmii C. Mæmio cōsulari, exercitus regēti nuptā C. cōiunxit sibi.